Loca que continentur sepulchrum domini in hyerusalem et cetera loca.

Ab occidente est introitus urbis porta david. Iuxta civitatem est sepulchrum domini,
in quo capite est medium mundi, ubi carcer, ligatio, flagellatio, ubi coronatus
fuit, despoliatus, et vestimenta divisa. Mons calvarie, locus est iuxta urbem,
in quo crucifixus fuit, sub quo golgotha, ubi sanguis christi super petram scissa, supra
que mansit. est locus, ubi elena crucem invenit. Subtus est ab occidente templum
quod salomon fecit significatione, in quo domini introitus fuit. ab oriente.
ab occidente. a meridie. ab aquilone. Et ibi sunt archa federis domini, et tabule
testamenti, et virga aaron, et vii. candelabra aurea. Ab oriente porta speciosa.
Sub templo salomonis est cunabulum et lectum genitricis dei et balneum et ex alia
parte probatica piscina. Foris civitate est vallis iosaphat in qua dei genitrix sepulta
fuit ab apostolis. ibi est et iethsemani ubi iudas iudeis salvatorem tradidit. hinc
locus ubi oravit christus. subtus est mons oliveti. ubi dominus ascendit in celum, et ubi fecit
pater noster. Subtus est bethania ubi dominus suscitavit lazarum. Mons syon a meridie.
ibi migravit sancta maria. et ibi est galilea. ubi cenavit cum discipulis suis, et ibi dedit
spiritum sanctum super apostolos in pentecosten. Ex alia parte acheldemach sepultura pere
grinorum. et ex alia parte natatoria syloe. Bethleem hinc sex miliaria distat
ubi dominus natus fuit, et ibi est presepium, et ibi est tabula in qua beata maria cum
tribus regibus comedit. balneum et lectum. et ibi est puteus. ibique sunt c. xl. iiii.
martyres qui interfecti sunt ab herode. Deo gratias. amen.

Hostia grata datur. cadit hostis culpa lavatur. — de sepulchro domini.
Celum letatur flent tartara lex renovatur.
Ista docent christe. quod sanctus est locus iste.
Crux bona. crux digna. lignum super omnia ligna. — de cruce christi.
Me tibi consigna. liberans a morte maligna.
Hic mors deletur. huic nobis vita medetur.
Nascitur hic pura. de carne domini paritura. — de sancta anna.
Anna mater sacror(um) sacer inde fuit alter.
Ponderat hic montes producens flumina fontes. — de infusione.
Et fontis irpsuimo. qui continet omnia palmo.